

forte dies ad arma consternati ab Congi rege defecerant, magnaue manu incursiones in regni extrema faciebant. Adversus id malum, quoniam & celeritate & ipsiusmet regis præsentia opus erat; ne quid sibi interim adversi eveniret, occupat rex baptismi sacramento æternæ salutis consulere. Nec regina rem longius distulit, atque ad indicandum in Lusitaniæ reges grati animi obsequium, ille Joannis, hæc Eleonoræ sibi nomen desumpsit. Ingens Æthiopum multitudo ad spectaculum undique affluerant. Ex iis, proceres aliquot, regis exemplo & prædicatorum adhortationibus incitati, se per idem tempus ad Christum adjunxere. nam e duobus regis filiis alter ad omnem virtutem ac pietatem propensus, natu major, ad regni fines tutandos festine præcesserat: junior alter, Pansus Aquitimus nomine, nimirum ut esset qui pios postmodum exerceret, a nefaria superstitione, & avitis moribus nullo pacto abduci se passus est. Sub hæc, raptim coacto exercitu rex, admittis Lusitanis aliquot, in hostes tendit. Abeunti, Sosa Crucis vexillum de manu porrexit; hortatus pergeret in dimicationem alacer; signi ejus beneficio (tantum fiducia ne desisset) hostibus utique superiorem futurum. Nec vana fuere promissa: prælata Cruce fuis fugatisque rebellibus, paulo post victor Joannes in patriam rediit. Ovantem natu major filius est secutus; qui cum Christianæ doctrinæ diligentem in primis operam dedisset, perducto jam ad fastigium templo, summa populi celebritate baptismo lustratus est, Alphonsumque appellari se voluit; quo nomine Joannis Lusitaniæ Regis filium vocari didicerat. Ac ne quid ad lætitiæ deesset, baptizati cum eodem insignes viri permulti. Inde profectus in Ifundos, quibus populis jam tum ex parentis auctoritate imperabat, Apostolico apud eos munere ipsemet fungi cœpit: ac veritatis lucem admirabili studio promiscue omnibus impertire. Quo tanto Christianæ rei incremento admodum lætus in Lusitaniam revertit Sosa, relictis in Congo sacerdotibus ad cæpta promovenda. Verum ii partim insolitis caloribus & cœli gravitate consumpti; partim etiam (quæ vicissitudo est rerum) ab incolis aspera atque acerba multa, absente præsertim Alphonso, perpeffi sunt. Etenim quamdiu de Ecclesiasticis cæremoniis, & de mysteriis rectæ in DEUM fidei est actum, ea tametsi hominis captum infinitis partibus superant; tamen quia ob id ipsum DEO digna, & rationi consentanea videbantur, haud ita repugnabatur ab Ethnicis. Ast ubi de justitia, temperantia, submissione serio præcipi est cœptum, & e Christianæ disciplinæ institutis abjicienda auguria, male parta reddenda, condonandæ injuriæ, aspernandæ libidines, frangendæ cupiditates erant; enimvero tum quasi ventilabro ad trituram adhibito, boni viri illico secerni ab improbis: alteri, vel amore virtutis capti, vel pœnæ metu perterriti, æquitate delectari, sectari pacem, voluptates repudiare, duces & rectores animorum suorum honore & benevolentia prosequi: alteri denuo dæmonum laqueis irretiti, ad ritus nefarios, atque ad avaritiam ac superbiam, & pristinas turpitudines miserandum in modum revolvi & odisse lucem, magistros aversari, & a piorum consuetudine longe refugere. Nec vulgo tantum serpebat vitium: notissimus ac ditissimus quisque arduum ac difficile virtutis iter eo magis horrebat, quo majora sibi malorum irritamenta & deliciarum illecebræ suppetebant. Rex demum ipse, qui tantum initio ardorem ac firmitatem animi præ se tulisset; ubi a lactis dulcedine ad solidos cibos traduci est cœptus, desiderio pristinae vitæ paulatim adeo elanguit, vix ut in eo roboris Christiani quicquam